



Dass

NOT

+

13 12
PROLVSIO
DE
HOSTIBVS VOTIS PRIVS
QVAM ARMIS VINCENDIS

QVA
REI SCHOLASTICAE EXORNATORES

AD
ORATIONES D. T. APRIL. A. R. S. clolcccLX
IN SCHOLA HELMSTADIENSI SENATORIA

HABENDAS

INVITAT OBSERVANTISSIME

M. IOANNES FRANCISCVS WAGNER

RECTOR SCHOLAE HELMSTAD' SENATOR' SVBPRIOR
COENOBII MARIAEVALLENSIS CVSTOS BIBLIOTHECAE
ACADEMICAЕ P. O. L. C. ET SOCIETATVM TEVTONICARVM
DVICALIS HELMSTADIENSIS EPHORVS ALTORFIENSIS
MEMBRVM HONORAR' EXTRAORD

HELMSTADI
LITTERIS LEVCKARDIANIS

17

INSTITUTIONUM PROLVISIONUM
DE
HOSTIBVS VOTIS PRIVIS
QVAM ARMIS VINCENDIS

QVA
KI SCHOLASTICAE EXORNATORES

AD
ORATIONES D. T. APRIL. A. R. S. CLASSICAE
IN SCHOLA THEOLOGICA SENATORIA

M. JOHANNES FRANGISOVS WAGNER
LECTOR SCHOLAE THEOLOGICAE SENATORIAE
ORDINIS THEOLOGICI SENATORIAE
AD HOC HONOREM HONORIS ACADEMICI
MAGISTRI HONORIS ACADEMICI
MAGISTRI HONORIS ACADEMICI

LEIPZIG
LITTEAE ET C. G. G. G. G.





Q. B. F. F. Q. S.

QVAE olim gentes fictitiis sacra diis fecere, et aut ignorarunt, aut saltim cum rebus nostranitentibus cura ac intelligentia temere et tantum non omnino ea confuderunt, quae fatalia sunt mortalibus; hae tamen fere omnes et dictis et factis sunt professae, bella numine supremo quodam regi, quod non nisi pie cultum arma capientibus vim prosperet victoriam que. Hinc enim commune illis fuit, se suam que vitam, aut civitates hostium ac praedas faciendas pro salute patriae diis deuovere. Atque quum hanc antiquitatis religionem summae vir doctrinae a) singulari libello illustrauit;

A 2 ego,

a) vi. M. IO. PE. MILLERI IV. celeberrimi nunc Gymnaasi

VI.

ego, non quidem, si Iliada post Homerum vellem canere, sed modo ne videar ignorare notissima, et quae haud dubie eam ipsam ob causam a scriptore laudato sunt omissa, e CAESARE b) paucis monebo, iisdem ceremoniis et Gallos veteres rectorem belli sibi conciliare studuisse, ac, quando fuit propitius, debitas ei grates persoluisse. Is enim: (Galli) *Martem, inquit, bella regere (ferunt). huic, quum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperunt, plerumque deuouent, quae superauerint, animalia capta immolant, rel*

AVT igitur fallor, aut haec sacra, in quibus tam diuersa conspirarunt ingenia, lucem affundunt suam responso illi ab oraculo delphico CROTONIENSIVM legatis dato: *prius votis hostes, quam armis, vincendos.* c) Rem ab origine sua reperam. CROTONIENSES, d) qui cum *Metapontinis* e) ac Syba-

Vlmenis Rectoris ac Professoris diss. Lipsiae olim habitam, *deuotiones veterum in bellis* exhibentem Lips. 1720

b) vi. CAESAREM de bel. gal. Li. VI. Ca. XVII

c) vi. IVSTI HISTO. PHI LIP. Li. XX. Ca. II. sq

d) de CROTONE, Italiae in finu Tarentino ciuitate vi. STRABO Geogr. Lib. VI.

p. m. 290. sq. (ex ed. Basil. A. 1571.) Vrbs haec et bellis rebus studuit olim, et athleticae, ac vna Olympiade septem viri, qui stadio vice-re, omnes fuere Crotoniatae; hinc proverbium illud enatum: *Κροτωνιατῶν ὁ ἔχαιτος, πρῶτος τῶν ἄλλων Ἑλλήνων.* Dicitur etiam: *Crotonē salubris*, atque hanc *παροιμίαν* inde aiunt ortam, quod ex athle-

Sybaritanis f) caeteros Graecos Italia pellere statuerunt,

A 3

athletarum multitudine colligeretur, locum istum ad sanitatem ac firmam corporis constitutionem multum conferre. Auxit vrbis gloriam et PYTHAGOREORVM multitudo, et MILO, athletarum celeberrimus, idem que discipulus PYTHAGORAE longo tempore in ea vrbe versati. Cf. de MILONE STRABO c. l. p. 291. sq. et CICERO *de Senectute* c. IX et X. de PYTHAGORAE autem ad Crotoniatis secessu, miraculo que et caeteris rebus apud illos gestis vi. Cele. IA BRUCKERI *Histo. Criti. Philosophiae, To. I. Par. II. Li. II. Ca. II. §. X. pa. 101. sq.*

c) de METAPONTO, quae vrbs quoque Italiae fuit in sinu Tarentino sita, vi. STRABO c. l. p. 293. conditum est a Pyliis, qui cum Nestore ab Illo nauigarunt; hos tanto successu terram coluisse dicunt, vt auream aetatem Delphis dedicauerint. META

PONTI decessit Pythagoras, eius que tanta fuit admiratio, vt ex domo eius templum facerent, eum que pro deo colerent. Cf. IUSTINI *Histo. Philip. Li. XX. Ca. IV.* adde BRUCKERVM c. l. §. XIII. p. 1021. sq.

f) Ducentis a CROTONE stadiis fuit SYBARIS ab Achaeis condita vrbs in medio duorum fluminum *Crathidis* et *Sybaridis*. Conditor ejus erat ISELICEVS. Tanta autem rerum prosperitate illa excelsit, vt et quatuor vicinis gentibus imperarit, et XXV vrbes dicto audientes habuerit, et CCC hominum milia in bellum contra Crotoniatis eduxerit, domiciliis que supra Crathidem stadia L compleuerit. Sed luxu Sybaritarum ac petulantia factum est, vt LXX dierum spatium vniuersam eis istam felicitatem CROTONIATAE eriperent; captam enim urbem immisso flumine aquis obruerunt. Haec STRABO c. l.

runt, et quos, SIRI g) vrbe capta, ob sublatum MI
 NERVAE simulacrum sacerdotem que deae velatum
 ornamentis inter ipsa altaria trucidatum peste et feditionibus vexatos, placare oportuit laesum TRITONIAE numen et interfectorum manes, sanitate recuperata non diu quievere. LOCRENSIBVS h) igitur bellum intulerunt, crimini maxime dantes, quod contra se iuissent SIRIS incolas. Hi frustra *Spartanorum* supplices deprecari auxilium, a quibus ad CASTOREM potius et POLLUCEM confugere iussi sunt, non spernere fociae vrbis responsum, sed proximum adire

c. l. p. 292. Ob hunc eundem Sybaritarum luxum *mensa Sybaritica*, item *Sybarita per plateas* in proverbium abiire.

g) SIRIS, postea HERACLEA dicta, vrbs fuit ad *Siris* amnis ostium. Apud illam et flumen prima Romanorum pugna LEVINO consule cum PYRRHO commissa est tam atrox, vt Frenatanae turmae praefectus *Obsidius* inuectus in Regem turbaret eum cogeret que, proiecctis insignibus, proelio excedere. vi. PLVTARCHVS in *Pyrrho*

h) Celeberrima vrbs LOCRI

EPIZEPHYRII sita fuit post Zephyrium promontorium, ab hoc ipso cognominata. LOCRI et CROTONNE pestilentiam numquam fuisse, nec vilo terrae motu laboratum, adnotatum esse tradit PLINIVS *Histo. Natu.* Li. II. Ca. 96. Creditum etiam est, LOCRENSES omnium primos *scriptis legibus* vlos fuisse. A DIONYSIO IVNIORE, regno Syracusarum pulso et apud LOCRENSES exsulante, gravissimo oppressi sunt dominatu, quem tamen ipsi postea vleiscebantur acerbissime. vi. STRABO c. l. p.

adire templum, deos, ut sua secudent arma, implorare, et litatis hostiis haut secus laeti, ac si deos ipsos secum auecturi essent, puluinaria iis in naui componere, faustis que profecti ominibus solatia suis pro auxiliis deportare

POST QVAM dein CROTONIENSES cognouere, LOCROS, ut sibi victoriae facultatem belli que prosperos eventus sperare liceret, Δεσκούροις illis in Apotropaeorum deorum numerum ob res in hominum salutem ac prosperitatem gestas relatis sacrificia fecisse: eadem ipsi religione ducti Delphos miserant legatos, quibus id responsum ipsum, in quo explicando nunc versamur, editum: *prius nempe votis hostes, quam armis, vincendos*. Vouebant igitur APOLLINI praedae *decimas*; sed LOCRENSES, quibus et dei responsum et hostium innouit votum, sancte illi *nonas* promiserunt; et ne votis vincerentur, summo hanc rem texere silentio

ENIM VERO quum in aciem exercitus processissent, et CROTONIENSIVM centum viginti millia armatorum i) constitissent; suam circumspicientes paucitatem LOCRI, quibus sola quindecim millia militum erant, omiserunt spem victoriae et in destinatam mortem tanto singuli ardore capti con-

i) Ita IUSTINVS c. l. Sed STRABO p. 289. Μετά δὲ Λοκρῶν, inquit, Σάγγρις — ἐφ' οὗ Διοσκούρων, περὶ οὗς Λο-

κροὶ ΜΥΡΤΙΟΙ μετα Φηγιῶν πρὸς ΔΕΚΑΤΡΕΙΣ ΜΥΡΙΑΔΑΣ Κροτωνικῶν συμβαλόντες ἐνίκησαν

VIII

conspirarunt, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Illis igitur id in mente fuit, quo AENEAS apud VIRGILIUM k) socios suos ad arma capienda excitavit:

-- Moriamur, et in media arma ruamus

Sed qui mori tam honeste quaerebant, vicere felicissime: nec alia fere credita est victoriae causa, quam quod desperarint. Scilicet

Vna salus victis, nullam sperare salutem l)

NEC defuerunt LOCRES pugnantibus varia egregiae hujus victoriae ostenta. Primum enim aquila ab acie numquam recessit, eosque tamdiu circumvolavit, quoad superiores discederent. Porro LOCRENSES de hoc ipso gloriari poterant, quod, si FLORO m) credas, in bello accidit Latino et Macedonico II. cui utriusque fama tradidit deos interfuisse in candidis equis duos, qui CASTOR et POLLUX credebantur. Nam in cornibus eorum duo iuvenes diverso a caeteris habitu, eximia magnitudine, et albis equis, coccineis que paludamentis pugnare visi sunt, nec ultra apparuerunt, quam pugnatum est. n) Admira-

k) Aeneï. Li. II. vs. 353

l) VIRGIL. Aeneï. Li. II. vs.

354

m) VI. FLORI *Epitome rerum romanarum* Li. II. ca. XII.

adde CICERONEM Li. II. de Na. deo. ca. II

n) VI. IUSTINVS c. I. tanta fides olim huic LOCRENSIVM victoriae ac Tyndaridarum

mirationem auxit famae incredibilis velocitas. Lactum quidem illum ac felicem ITALIAE a CIMBRIS THEVTONIS ac TIGVRINIS liberatae nuncium eadem die, qua gesta res est, populus romanus accepisse dicitur, non per homines, ut solebat, sed per ipsos, si credere fas est, deos. o) Tum igitur Roma velut elata montibus suis spectaculo intererat, quod in gladiatorio munere consuevit; et vno eodem que momento, quum in acie CIMBRI succumberent, populus in vrbe plaudebat. Verum enim vero quid admirabilius fieri potest, quid insignius eo, quod de victoria LOCROVRM tradiderunt? Eam enim CORINTHO et ATHENIS et LACEDAEMONE eadem die, qua in ITALIA pugnatum est, nunciatam esse perhibent. p) Fata igitur, si diis placet, voluerunt, vt tres vrbiu[m] celeberrimae eo quasi momento, quo CROTONIENSES victi sunt, victoriae LOCROVRM applaudent, essent que testes, eos, qui

darum horum apparitioni habita fuit, vt contra eos, qui rei fidem derogarent, proverbium illud natum est:

Ἀληθεύετερα τῶν ἐπὶ Σάγγυ. Vi.

STRABO c. l. p. 299. et

CICERO Li. III. de Na.

deo. c. V

o) vi. FLORVS Li. III. ca. III

p) vi. IVSTINVS c. l. ca. III.

LVCILIVS apud CICE-
RONEM Li. II. de Na. deo.
c. II. Atque etiam, inquit,
cum ad fluvium Sagram Cro-
toniatas Locri maximo proe-
lio deuicissent, eo ipso die
auditam esse eam pugnam
ludis Olympiae, proditum
est, cf. STRABO c. l. p. m.
299

B

qui votis hostes superant, et armis longe illos multum que esse superaturos

Accepisti igitur, mi lector boniuole, quae CROTONIATAS inter atque LOCROS olim gesta sunt, nec amplius, ni fallor, haesitabis animo, religionem illam ab oraculo LOCRENSIVM legatis demandatam sic interpretari, vt majori pietate erga deos hostem vincerent; sic enim illum quoque, minores licet armis ac debiliores, proelio superaturos. Quamuis enim numquam ausus fuerim contendere, gentem hanc eam fouisse numine supremo dignam et egregiam sententiam, quam SOCRATES auditores suos docuisse perhibetur q): ἔτε γὰρ τοῖς θεοῖς, ἀσφαιρῶς ἔχειν, εἰ τοῖς μεγάλοις δυσταῖς μᾶλλον, ἢ τοῖς μικροῖς ἔχειν. πολλοῖσι γὰρ ἐν αὐτοῖς τὰ παρὰ τῶν ποιητῶν μᾶλλον, ἢ τὰ παρὰ τῶν χρησῶν εἶναι κεχαρισμένα· οὐτ' ἂν τοῖς ἀνθρώποις ἄξιον εἶναι ζῆν· εἰ τὰ παρὰ τῶν ποιητῶν μᾶλλον ἢ κεχαρισμένα τοῖς θεοῖς, ἢ τὰ παρὰ τῶν χρησῶν· ἀλλὰ — τὸς θεὸς τοῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μᾶλλον χαίρειν attamen in eo neminem contradicturum mihi credo, illos suis quidem viribus desperauisse, diuino autem igitur fretos auxilio arma cepisse, quia hostem votis prius victum, seque fato dei dicto fuisse audientes haberent sibimet persuasum. Nam quemadmodum libenter cuique largimur, inter superstitionis antiquitatis figmenta non immerito ea referri, quae de aquila aciem circumuolante, ac iuuenibus illis

q) VI. XENOPHONTIS *Memorabilia*. SOCR. *diſto. Li. 1. Ca. 3. no. 3*

illis duobus pro LOCRIIS pugnantibus prodita sunt: haec tamen ipsa credo abunde testari, laetam victores suam fortunam ad deos retulisse, quorum auxilium suis sibi votis conciliare studuerunt

ATQVI vero quum ad veritatem reuocemus rationem, quid euidentius ac firmioribus euietum argumentis inueniemus, ac hostes prius potius que votis, quam armis, vincendos? Nobis enim, qui coelitus illuminati ac edocti sumus, nihil magis persuasum esse potest, quam NUMEN illud SVM MVM ac potentissimum, quod omnia omnino regit ac gubernat, bellis quoque prouidere, suum que initium pariter ac finem ponere. Teste scilicet scriptura sacra hic DEVS est מלחמתו מלחמתו ille, qui tollit prorsus et cessare facit bella ab vno terrae fine ad alteram; qui hostium perfringit arcum, et truncat hastam, ac igne comburit currus. r) Qui igitur iniuriis lacessitus bellum infert alii genti, aut iniuste illatum defendit, spem victoriae felicitis que euentus cum DAVIDE in IEHOVA collocans, is מלחמתו יהוה bella Domini gerere suo iure dicitur: nam Deus ipse conficiet causam ejus, et vlciscetur eius vltionem s)

HVNC igitur DEVM piis atque ardentissimis adire precibus debemus, quando diris bellis calamitatibus tantum non opprimimur, ac pristinam tranquillitatem vulneribus lassi ac dilacerati desideramus

B 2

mus

r) cf. PSAL. XLVI, 10

s) cf. I. SAM. V. XXV, 28

mus. Preces enim ex animo fidei pleno fusae illa sunt vota, quibus numen nobis et auxilium diuinum conciliare possumus. Sed quemadmodum vitia hominum ac peruersitates sanctissimum DEVM permouere solent, vt se obtegat nube, ne pertransseat eorum oratio; nam procul abest IEHOVA ab improbis, preces autem iustorum exaudit: ita saepius saepissime euenit, ut peccata nostra incendiant non solum in nos bella, alant ac late effuse que propagent, sed omni quoque vi et efficacia preces ad coelum missas priuasse videantur. Atqui sane DEVS ipse homines diserte monuit, ne vitae impietate scelerum que commissorum grauitate adeo in se vertant diuinas poenas, vt hostes gladium in ipsos stringere, famemque in ciuitatis iuuenes saeuire iubeat. Manent sane fata haec tristissima mortales eos, qui nec attentis auribus excipiunt MANDATA DEI, nec ad exsequenda illa animos attendunt; sed potius tam verbum ipsum diuinitum reuelatum, quam interpretes illius, spernunt. Ita enim IEHOVA gentem olim suam atque omnes simul homines coelesti lumine edoctos alloquutus est: *Quodsi istis non erudiemini, vt redeatis ad me, sed ambulabitis necum temere: vtique ambulabo etiam ego vobiscum temere, et percutiam ego vos quoque septuplo propter peccata vestra. Nam inducam contra vos gladium vlciscentem vltionem foederis, ita vt congregetis vos in civitates vestras; tum inmittam pestem inter vos et trademini in manum inimici: quum fregero vobis scipionem panis et coquentes decem mulieres panem vestrum in fur-*

no uno retulerint panem vestram distribuendum certo pondere: si comederitis, tamen non saturabimini t)

INSUPER pandectae faciores varia designant scelera nefanda, ob quae summum Numen comminatum est, infestos semet hostium exercitus in fines gentis suae immisurum. Eminent in illis AVARITIA, ex qua tanquam suo fonte tam immania facinora proficiuntur; item quae SUPERBUS ille ANIMVS ac insolens, qui quemque humiliorem, pauperes in primis, aspernatur atque opprimit, eorum quae bona iniuste atque violenter sibi vindicat. MICAS u) itaque diuino spiritu afflatus: VAE, inquit, cogitantibus iniquitatem et dantibus operam malo in cubilibus suis, quod illucescente mane faciant, quum est in potestate manus ipsorum; qui concupiscunt agros, quos rapiant, et domos, quas adimant: opprimentes virum cum domo ejus, quemque cum possessione sua. Idcirco sic ait Iehova, ecce ego cogito contra familiam istam malum; vnde non amouebitis colla vestra, neque ambuletis elate, quum tempus mali erit. Tempore illo proferet de vobis parabolum et lamentabitur lamentum summum lamentator, dicens: prorsus vastati sumus, portionem populi mei commutat Deus: quomodo adimit mihi et auertendo agros nostros partitur? Et per IESAIAM x) afferit IEOVA: Animaduertam in orbis habitabilis malitiam, et in improborum iniquitatem, faciam quae ut cesset fastus superborum, elationem quae violentorum deiciam

B 3

EX

t) cf. LEVI. XXVI, 25

x) cf. IESA. XIII, II

u) cf. MICAE. Ca. II, I. sqq

EX his igitur cognoscimus, quas ob causas DEVS benignissimus et Pater hominum non raro gentes persequatur atque trucidet bellorum gladio, et nec precibus nec votis ad tollenda haec tristissima miseriarum genera flectatur. Videlicet qui inquinati sunt sceleribus, et manus iniustitia contaminatas ad coelum tendunt, eorum vota nec DEO iustissimo grata esse queunt, nec hostem magis quam arma vincunt. Horum potius est, ut ab impietatis ac vitiorum semita, quam ingressi sunt, longe recedant; conscientia malefactorum afflicti peccatorum remissionem a DEO precibus efflagitant, nixi illius CHRISTI sanctitate et iustitia, qui sua morte omnibus mortalibus reconciliauit Patrem. Agite, populi, quorum fines et agros hostes inuadunt crudelissimi et populantur, vrbes diruunt, iuuenum virorum que maximam cladem faciunt et internecionem: agite, ciliis operite vos, ad DEVM inclamate forriter et reuertimini quisque a via sua pessima et ab ipsa violentia, quae inest manibus vestris. His enim votis DEO gratis et iucundis hostem prius potius que quam armis vincetis

ATQVI ea sunt tempora nostra, ut hocce argumento haud aliud dignius videri queat, cuius pertractatio in lucem emittatur. Magna quidem est terrarum nostrarum felicitas, quae in media belli latissime diffusi flamma singulari Numinis diuini gratia incolumes seruantur. Hanc vero ipsam ob causam quam maxime existimo nostrarum esse partium, ut san-

sanctitatem vitae summo studio sectemur, vt, qua fieri potest, circumspeditione atque cura flagitiorum scelerum que incitamentis resistamus, et, quae perperam acta sunt, sincera ac pia mentis ad DEVM conuersione emendemus. His enim mediis augebimus IEHOVAE *exercituum* in nos amorem et clementiam, et, si quae fata tristiora Ille in has etiam terras decreuisset, fidem in se animi que nostri constantiam examinaturus et confirmaturus: tamen persequissimum esse poterimus, preces nostras ac sancta vota id effectura, vt ne pereamus omnino nec differat longius Iustissimus liberationem e calamitatibus periculis que

Perorabunt autem d. I^o Aprilis h. A. Iuuenes
e prima Scholae nostrae classe sequentes

IO^o CHRISTO^o KÜHNE *de voluptate libidinosa tanquam praecipua causa exitii summorum regnorum* LATINE verba faciet

WIL^o GE^o CHRISTO^o SEIDEL oratione *germanica proprio Marte elaborata demonstrabit: Laborum necessitatem summae utilitatis fontem esse*

LVDO^o IULI^o RVDOL^o BEAVREGARD *ultimam noctem Paschatos elegiaco carmine describet*

IO^o EBER^o WVNENBURG *de praecipuo hominis ornamento, quod est positum in animi cultura latine declamabit*

CHRISTI

CHRISTI AVGV BORNHOLZ *Ouidii il-
lud: non minor est virtus, quam quærere, parta tueri,
latina oratione explicabit*

Vos igitur, FAVTORES AC EXORNATORES
REI SCHOLASTICAE, ea, qua decet, obseruantia
rogo, vt frequentes velitis adesse iuuenibus hisce
declamaturis, vestra que boniuola praesentia ad alio-
ra illos excitare. Scribebam d. XXIX Martii

MDCCLX



00 A 6427

ULB Halle
002 927 292

3



0018

R



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

13 12
PROLVSI O
DE
YS VOTIS PRIVS
ARMIS VINCENDIS

QVA
ASTICAE EXORNATORES

AD
D. T. APRIL. A. R. S. clolcccLX
HELMSTADIENSI SENATORIA

HABENDAS
ITAT OBSERVANTISSIME
S FRANCISCVS WAGNER

HELMSTAD' SENATOR' SVBPRIOR
VALLENSIS CVSTOS BIBLIOTHECAE
C' ET SOCIETATVM TEVTONICARVM
ADIENSIS EPHORVS ALTORFIENSIS
M HONORAR' EXTRAORD

HELMSTAD I
ERIS IEVCKARDIANIS